

Sunt-ne inter ascitem et peritonitidem chronicam certa discrimina quibus dignosci queant? : thesis, quam, Deo favente, in celeberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi, praesentibus iudicibus, publicis competitorum disputationibus subjiciet et delucidare conabitur, die mensis Februarii [...] 1824 / Ant. Dugès.

Contributors

Dugès, Antoine, 1797-1838.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Parisiis : Ex typis Marchand du Breuil, [1824]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pn5jtjxp>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

164.

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI,

ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI,

INSTITUTE ANNO 1823.

SUNT-NE

INTER ASCITEM ET PERITONITIDEM CHRONICAM

CERTA DISCRIMINA

QUIBUS DIGNOSCI QUEANT?

THESIS,

Quam, Deo favente, in celeberrimâ facultate medicâ parisiensi,
præsentibus judicibus, publicis competitorum disputationibus
subjiciet et delucidare conabitur,

DIE MENSIS FEBRUARII 1824,

ANT. DUGÈS,

Doctor medicus, ejusdemque facultatis honorarius Prosector : nosocomiorum
Parisiensium quondam sedentarius sub-chirurgus.

Ad pænitendum properat citò qui judicat.

PUBL. SYRUS.

PARISIIS,

EX TYPIS MARCHAND DU BREUIL.

VIA DICTA DE LA HARPE, N° 80.

CONCERTATIONIS JUDICES.

Præses. D^r. ESQUIROL.

Judices. { Prof. LANDRÉ-BEAUVAIS.
— RECAMIER.
— BERTIN.
— FIZEAU.
— CAYOL.
— ROYER-COLLARD.
D^r. JADIOUX, *aggr.*
D^r. ALLAIN.

Vicariü. { D^r. KERGARDEC, *aggr.*
— PARENT DUCHATELET, *idem.*

COMPETITORES.

D^r. DELONDRES,
ROCHOUX,
GÉRARDIN,
DE CHAMPESME,
CRUVEILHIER,
PIORRY,
LEGRAS,
BAILLY,
RAMON,
MIQUEL,
DESTOUET,
MARTIN-SOLON,

D^r. DESPAU,
DUGÈS,
ANDRAL,
GIBERT,
TUFFIER,
BAYLE,
VELPEAU,
MESLIER,
LEGER (Victor),
LEGER (Théodore),
BOUILLAUD.

*Sunt-ne inter ascitem et peritonitidem chronicam certa
discrimina quibus dignosci queant?*

PROLEGOMENA

Hujusce solutionem problematis incassum in antiquorum operibus medicorum inquirere tentavissem; si quidem ignotus erat apud eos morbus, peritonæi ipsius inflammatio. Nusquam enim, ni fallor, ante Culenium, peritonitidis nomen reperies; et ipse clarus auctor, tali nomine tantum peritonæi musculos obducentis, mesenterii et omenti inflammationem donavit. *Johnston* (a) primus, anno 1779, membranæ serosæ morbos, a subjacentium viscerum affectibus, sejungere tentaverat: quam opinionem confirmavit, anno 1785, *Walterus* (1), multis que suffulserunt argumentis clarus *Bichat* (2), nec non celeberrimus *Pinel* (3). Nuperius autem nova luce res enituit ex adinvicem pronatis ætatis nostræ laboribus; inter quos primum clarorum *Bayle* et *Laennec* (4) conatus meliore notâ distinguendos esse censeo. Ex his facile conjectabimus, puris aut morborum seri collectiones a recentioribus medicis inflammato peritonæo adscriptas, sæpissimè ab antiquis pro vero hydrope fuisse habitas (5):

(a) *De febre puerp.* Diss.; *Edimb.*

(1) *De morbis peritonæi et apoplexiâ*; *Berolini*, 1785.

(2) *Traité des membranes.*

(3) *Nosographie philosoph.* t. 2.

(4) *Journal de méd., chir., pharmacie.* t. 4, p. 552.

(5) Quâ de re non ampliùs dubitare poterit qui sequentia versare voluerit. *BONNET, seputchretum*, t. 2, p. 414, 425, 448. *MORGAGNI, de sed. et caus. morb.*, Ep. 48, art. 30 et 31. *DEHAEN, Rat. med.*, pars. 11^{ma}, cap. 4, § 5, et pars 4^a, cap. 5, § 2. *LEDUAN, Mem. ac. chir.*, t. 2. *KLEIN, interpres clinicus*, p. 140. *HAUTESIERK*, t. 2, p. 418. *LIEUTAUD, Hist. anat. med.*, t. 1, obs. 1599, 1604, 1611, 1613, 1724, 1732. Aliaque posteriùs adnotanda.

nec, si priscorum observationes perlustrare voluerimus, rem dubiam et incertam dicere poterimus. Nunc enim purulentum (6), cruentum (7), putridum (8), lacteum (9) hydropis liquorem describunt; nunc aeriformi materiâ distensum intumuisse ventrem dicunt, sive in intestinis et ventriculo (10), sive in ipso abdominis et peritonæi (11) cavo clauderetur. Profectò nullus de nobis exstat hodiè, qui talia plerumque inflammationi phænomena non tribuat (12).

(6) LAROCHE, *fièvre puerpérale*, p. 279. PUJOL, t. 4, p. 505. SCHENKIUS, p. 448. PORTAL, *Traité des hydropisies*, t. 1, p. 19, 64 et 215. His adde quæ superiori notæ continentur, aliasque PISONIS et MARCELLI DONATI observationes a SENNERTO relatas. Viscera tunc marcida exulcerataque sæpè inveniebant auctores; tunc corruptum humorem in illis corrosivam vim explicuisse putabant.

(7) HOLLERUS (*cum intestinis sideratis*), apud SENNERTUM. BAILLIE, *Anat. Path.*, p. 100. PEYER, *Parerga anat.*, p. 250. FABR. HILD, *cent.* 2, obs. 57. Coagula reperit BROUSSAIS, *phlegm. chron.*, t. 3, p. 409. Peritonitidem hæmorrhagicam dixerunt nostrates.

(8) ROUSSET, *Ysterotomotokia*, *sect.* 3, *cap.* 3. MONRO, *Hydròp.* p. 12; *note.* FRANK, *de curandis*, etc. t. 8, p. 150.

(9) Lacteum colorem vidit VERNAGE (ac. sc. 1700.) WILLIS, credo, primus istas de lacte per corpus vagante historias jactitavit; quarum abusus ex operibus (aliò laudandis) clarorum patet virorum. PUZOS (*Epanchemens laiteux*), DOUBLET (*fièvre puerperale*). PUJOL, t. 4. COLLOMB, *OEuvres, med. chir.*, p. 358. BARRAILLON, *soc. med.* 1784, p. 253. COL DE VILLARS, JUSSIEU, DOULCET, SOLLIER, etc. quæ recensita invenies apud GASTELIER, *Mal. des femmes en couches*; GASC, *Diss. sur la fièvre puerpérale*; et GARDIEN, *Traité des accouchemens*, t. 3.

(10) SENNERT, *ex PLATERO*, t. 2, p. 565. LITRE ac. sc. 1713. DEHAEN *Rat. med.* t. 6, p. 267. BONET, t. 2, p. 438.

(11) BONET, t. 2, p. 439, 485, et (*a perforato ventriculo*) p. 440. Exemplum quoque refert in *Hist. anat. med.*, e propriis adversariis, jam cit. LIEUTAUD, t. 1, p. 432. CAMPER, *Soc. med.* 1784, p. 121. Pluriès putrefactis in cadaveribus similia observavi.

(12) Videsis suprâ dictas observationes; præsertim verò, COLLOMB, *Op. cit.*, p. 369. « Les parois des intestins constamment baignées de pus semblent par là perdre leur ressort, et se laissent distendre souvent à un degré excessif. » Sic in *Diss. de Perit. puerp. curatione* (1820) amicus noster et quondam collega A.

Magni attamen est momenti peritonitidem ab ascite dignoscere, et ipsissimi suprà dicti auctores optimè, non eandem hydropi calido (13) et frigido convenire curationem; huic roborantia, illi lenientia juvare; hunc, abdomine perforato, imminui, illum autem in pejus ruere.

Utilissimum itaque foret indubiis de notis discerni posse morbi de quibus hic sermo est. Verùmenimverò, si nonnunquam ascitem aut peritonitidem manifestissimam observare est, contraria non desunt exempla. Interdum nempè hydrops *sthenicus* et plethoricus meritò dici potest, interdum dolet abdomen, calet cutis, etc. Atque vicissim peritonitis chronica, quibusdam ægris nullo alio modo infesta est, nisi pondere collecti humoris, cujus etiam naturæ ascitæ humorum naturæ parum est absimilis (14): hinc ascitæ peritonitidem excipientes, in quas non tantum veteres, sed et nuperrimi scriptores occurrisse dicunt (15). Ergò *sthenicum* te videre forsitan accidet hydropem, vehementi febre stipatum vel antecessum, quem haud ridiculè pro peritonæi inflammatione

LEGOVAIS. « Rarò solus flatus reperitur, sed plerumque aquæ (purulentæ) permixtus. » SENNERT, t. 2, p. 565. Quâ de causâ tympaniten in Ascite sæpè, et cum periculo, mutari dicebant veteres. (ARETÆUS, in KLEINII interprete clinico.

(13) De quo BOTAL peculiarem scripsit disputationem. Ipse HIPPOCRATES non semper arcendam esse putavit V. Sectionem. (*de Diætâ in acutis*). Sunt et alii permulti qui similiter cogitarunt; inter quos recensere satis erit ALEXANDRUM TRALLIANUM, AVICENNAM, CARDANUM, RIVERIUM (p. 591), FORESTUM (p. 244), FABRICIUM HILD. (*cent. 6, obs. 41*); SCHENKIUM que, cujus in libro (p. 428) multorum etiam sensus invenies. Quæ sanè de hydrope hodiè plethorico dicto vix, intelligi debere, credam; utpote rarissima sit, fatentibus etiam neotericis, plethorica ascites.

(14) Diffusiùs res infrà declarabitur: verum equidem est interdum flocculos aliquos aquæ hydropum innatare (*in Potatoribus, clarus* PORTAL, Tr. des hydr. t. 1^{re}, p. 195). Ex alterâ parte peritonitis quandoque serum vix albuminosum exsudat: quod olim me animadvertisse memini plurimis in felibus epizooticâ peritonitide peremptis. Notandum est etiam in ascite quæ febres subsequitur, humorem, quàm frigescere incipit cadaver, paululùm coagulari; pelluciditatem verò servare.

(15) BRON, *thèse* 1820, p. 28. JEUNESSE, *thèse* 1821, p. 45. LARROQUE, *thèse* 1822, p. 48. LANSIER, *thèse* 1823, p. 12. ITARD, *Dict. sc. med., ascite*. Quidam juvenis multos per annos aquam, sanatâ peritonitide, in abdomine ferebat, sensim evanidam.

habebis, aut contra, peritonitidem obscuram, quam hydropem, non planè perperam, nuncupare tibi animus erit. Talibus autem in rebus, error meherclè non adeò gravis est; siquidem symptomata tunc veras indicationes indigitant, veramque non nominis, sed ipsius morbi curationem inhibendam docent. Veruntamen quanta sit, in omnibus humanæ vitæ vicissitudinibus verborum potentia, nullus est qui negare queat; sæpè nimirum verbum pro re, simulacrum pro carne consequimur.

In hoc igitur naviter incumbere debemus ut nominis et vocis cujusque vim statuamus: quod uti, quantulumcumque mei est, prosequar, nunc in scrutandis adamussimque componendis amborum morborum causis, signis, progressionem, etc. operam navabo.

CAPUT PRIMUM

Causæ.

§ 1. *Peritonitis* chronica acutam sæpissimè excipit: omnes itaque hujus causæ, illius quoque sint necesse est. Quas si pervagari volueris, cunctas in *Sthenicarum* ordine reperies; dummodò frigoris potentiam in augendo stimulo (sive simplice rectâque, sive multiplice, elaterique compresso componendâ ratione) haud inficias iveris. Nempè plethoram nunc veram et connatam (temperamentum sanguineum) aut adventitiam (errores dietetici subitanei, etc.) nunc relativam (febris, graviditas et partus, inflammatio vicinarum partium (FRANK)) huic morbo favere videmus: sicque neonatos, novis et insolitis post longam quietem stimulis lacessitos, interdum ferit, ut quondam asseveravimus (16). Haud aliter alimenta supervacanea, venenaque hausta se habent; atque eâdem de lege vulnera ventri inferiori illata, humoresque in abdomen effusi (17) peritonæum inflammant. Antiquorum libros, necnon recen-

(16) DUCÈS, *Recherches sur les maladies les plus import. et les moins connues des enfans.* n. n. 1821.

(17) Professor FIZEAU bilem a rupto choledochi canali in peritonæum irruisse

tiorum quorundam si perleges, peritonitidem et ascitem frequenter post metastases, suppressionesque lactis lochiorumve nasci, asseveratum comperies; et eodem modo retentus sudor apud eosdem scriptores, tum hydropem, cum inflammationem, in peritonæo lapsus, produxit. Istis non nego opinionibus animum meum abhorrire; atque equidem vereor ne, morbi effectibus aut conjectis, causarum partes fuerint adscriptæ (18); talis vero litis suscitandæ decertandæque non est hic locus. E supradictis igitur concludendum est *causas omnes peritonitidis esse sthenicas, et citò vim suam in peritonæum impingere.*

§ 2. *Ascites contrà asthenicarum vel debilitantium laxantium que et tardè nocivarum causarum sequela frequentissima est.* Hydrops reapse pallentes, languidos, obesos (19), lymphaticæque crasi præditos, vetulos, vel longis et vires absumentibus morbis confectos homines invadere solet. Mulieres (19 bis) præsertim et inter illas chloroticas imprimis nostro morbo obnoxias esse, omni de die observare queunt medici. Fœtus et ipse in utero torpidus et aquâ undique circumdatus, hydrope vario atque etiam ascite non rarò plectitur (20). Humida (21)

cognovit: similem ferè, ruptâ vesiculâ fellis, casum observavi. Sanguinem (PETIT, *Mem. ac. chir.*, t. 2.), feces, urinam, etc. tali modo abdomen irrupisse variis ex auctoribus noscimus. Vesica non rarò inter partus conatus lacerata lotium effundit, et peritonæum lethali muletat inflammatione. Vide MONRO, p. 39; STOLL, *Rat. med. pars 1*, p. 101.

(18) « Minimè verò lac, tanquam in mammis secretus, nocivus sanguini, reditu suo, liquor..... Accusatur, hoc in casu, lac resorptum tanquam causa febris, cum potius lactis in mammis evanescencia et defectus, febris inflammatoriæ ipsius effectus sit, ut itaque effectus pro causâ falsò in hoc casu sumatur. » MECKEL, *nova exper. et obs. de venar. fin.*, p. 39 et 42.

(19) Jam suprà laudatus PORTAL, t. 1, p. 132.

(19 bis.) SYDENHAM, t. 1, p. 333, 515.

(20) Confertas hujusce phænomeni narrationes apud obstetriciæ scriptores reperire est. Vide præsertim PAUL PORTAL, p. 146, DELAMOTTE, etc. Fœtum asciticum perforato scroto liberatum antequàm natus esset memoravit cl. FRANK, t. 8, p. 276.

(21) Frigidi potus et nimii, teste LOSS, §. 33, periculosi sunt. SCHULZIUS canem post

frigidaque cœli tempestas, aquei liberiores que potus, hæmorrhagiæ frequentiores (22), diabetes, terror, etc. (23) inter hydropum causas haud immeritò numerantur. Aliam causarum seriem, in chronicis affectibus reperire est, sive sedes eorum manifesta sit, et cuilibet unico visceri conclusa (aneurisma, strumæ mesentericæ, hepatis, lienis, aut cujuscunque organi abdominis vel thoracis scirrhus (24), cancer, scrophulæ, abscessus, etc.) : sive totum corpus, aut saltem indiscriminatim pleraque corporis organa, solidaque, quin etiam cunctos humores occupet (scorbutus (25), hypochondriacum malum, colica pictorum (26), melan-

largiores sanguinis deperditiones, aquâ purâ complevit; indè mox hydrops ortus est. (HALLER, *disput. anat.*, t. 3, p. 670.) Idem HALE (*Hæmostatica, exper.* 14) injectâ in venis aquâ, adeptus est.

(22) MONRO, p. 15.

(23) DARWIN, *Zoonomie*, t. 1, p. 583. ROYER-COLLARD, *aménorrhée*, p. 62.

(24) Sive vires exhauriendo, sive sanguinis vel lymphæ cursum inhibendo: LOWER (*de motu cordis*, p. 124) in cane ligatâ cavâ abdominali venâ, paucis horis, lethalem hydropem expedivit. MONRO (*hydr.*, p. 40) filo itidem constrixit thoracicum canalem, tumque chylum in abdomine effusum invenit. Istam naturaliter exactam ejusdem canalis rupturam in ascitico puero reperit LOSS, *de languore lymph.*, §. 11. Et pluriès se rem observasse VALTER post puerperii nixus vehementiores testatur. Antiquorum ea quoque fuit opinio, a ruptione vasorum hydropem fieri. Quidam autem de coævis nostris vasorum lymphaticorum (DARWIN, t. 1, p. 571) vel etiam venarum (BARTHEZ in MASCAGNI, vasi lymphatici, t. 1, p. 148) motum retroversum, liquoresque retroagentem, in hydropibus adesse contenderunt. Multò libentiùs obicem quemdam lymphæ progressioni, vel etiam sanguinis circulationi in venas obstare potuisse crediderim; quæ opinio nuperrimè, de crurum anasarcâ, defensa est, atque pluribus morborum historiis e professoris BERTIN praxi selectorum firmata. Hæc omnia si perpendere et affatim complanare vellem, mihi priùs, de facultate absorbendi venis a pluribus post HUNTERUM et CRUIKSHANKIUM negatâ, et ab HALLERO, MECKELIO BOERHAAVIO, MAGENDIO, defensâ, experimentis que swammerdamianis iterùm atque iterùm repetitis fultâ, disserendum foret.

(25) SYDENHAM, t. 1, p. 172. Et post febres intermittentes, p. 59. Post dysenterias STOLL, *rat. med.*, pars 3, p. 158. Hypochondriacis nunquàm sine jecoris vitio supervenire ascitem testis est cl. ESQUIROL, *Dict. sc. med.*, t. 23, p. 151.

(26) DEHAEN, t. 6. p. 214.

cholia, viriumque a nimis exercitationibus vel irritationibus exhaustio, ut vini potationibus strenuis, immodicâ venere, animique pathematibus; quibus tandem adjungendum est immedicabile malum senectus.)

Compositis igitur utriusque morbi causis, naturam cujusque, nomenque decernere non rarò fas erit; verùm tamen ampliora nos et certiora forsàn argumenta, perpensis morborum amborum signis, depromere licebit; de quibus nunc agendum est.

CAPUT SECUNDUM.

Signa.

§ 1. *Peritonæi inflammationem*, jamjam e longiore temporis spatio perdurantem, inspiciendam nobis occurrisset ponamus. Illius etenim ortum, progressionemque, finemque, mox tractanda, sequentibus paginis lectoris indagationi luculenter expandi curabimus.

Symptomata morbi vel in loco primùm occupato, vel in longinquis partibus sympatheticè, vel mechanicè affectis, sese oculis observantis medici exhibere possunt.

1^o. Abdominis formam sanè mutat peritonitis chronica. Rarò tamen æquo modo tunc intumuisse ventrem videbis, ac in hydrope ascite dicto. Rarò quoque tumidus venter, mollis ac fluctuans et undequaque percutienti digito malè sonans, inflammatione exstante, repertus est; muscoli etenim dolore tenduntur (27) et, pro eodem dolore, æger altero modo cubare nequit nisi dorso prostratus (28); intestina, sæpissimè aere distensa, percusso ventre sonant, liquorisque fluctum vetant, et abdominis formam non rotundam, sed gibbis irregularibus insculptam faciunt. Exempla hujusce morbi numerosissima si cognoscendi cupiditas te movet, tympanitarum observationes in veterum operibus relatas le-

(27) DEVERGIE, *thèse* 1823, p. 55.

(28) LANDRÉ BEAUVAIS, *Semeiotique*, p. 373.

geto (29): hoc uno verbo, intelligenti, plura quam longo sermone potuissem exhibui. Nunc autem alia signa non minùs, ne multò magis dicam, frequentia certaue, paucis verbis exponere placet. Talia dolor, concusso vel presso abdomine perauctus, calor abdominali cuti quàm alio cuilibet loco acriùs medici digitos pungens (30), ejusdemque cutis fuscus, lividus ve color et venis latissimis variegatus; quippe celeberrimus imprimis *Bichat*, venas a provectione irritatione ampliari, docuit.

2°. Abdominalium viscerum inflamatâ membranâ obvestitorum functiones vitiari mirum non est; alia incommodi, perturbationisque causa viscerum adhæsió, colligatio; quâ motus organorum difficiliores necessariò succedunt. Hinc, dolente diaphragmate, spiritus ægrè ductus; hinc frequentes vomitus (31), diarrhœa, ventrisque ragitus et colici dicti dolores; hinc urinæ turbidæ, salium et albuminis majore copiâ donatæ (32), doloremque cientes mincturæ.

3°. Remotiores autem sympathias movet inflammatio, etiamsi chronica sit, atque debilis æger.

Febris adest aut continua, aut ad vesperem quemque ingruens; cutis universa aret, caletque; miniatæ, saltem durante paroxysmo, genæ sunt; lingua ad apicem rubescit, superiori autem facie sordido limo oblinitur; pulsus tandem duri, parvi quidem, sed frequentissimi, vespere præsertim, tanguntur. *Conclusio; ventris concussi sonitus, dolor, febris, peritonitidem adesse declarant.*

§ 2. *Hydrops, ex adverso, pallore, languoreque universo et aquâ, saltem pedibus, subcutancâ, abdomine quoque nullo modo sonante, sed oppidò levi percussione fluitante tumore dignoscendus est.* Quod equidem prolixiùs est ostendendum. Eodem ideò ordine quo præcedenti paragrapho symptomata recensere decet.

1°. Asciticorum abdomen rotundior formam (nisi jecur, lienve

(29) Vide notam nostram 12.

(30) LANDRÉ BEAUVAIS, *Semeiotique*, p. 528. DEVERGIE. l. c. PUJOL, t. 1, p. 82.

(31) DUFOUR, *thèse* 1812, p. 58. MOREAU, *thèse* 1821, *observation*.

(32) NYSTEN, *recherches de phys. et chim.*, p. 255.

scirrhusis, vel aliis tuberibus, referta, exterius promineant) in omni morbi periodo, et elatiorem asservans, ad ampliorem (33) sæpissimè pervenit intumescentiam quàm peritonitis nunquàm, aut infrequenter admodum (34) procreare potuerit. Principio etiam morbi venter mollis, laxus, ad quodque latus æger deflexerit, ipse quoque delabatur, crebròque aquarum defluentium percipitur sonitus (35); nec abdomine leviter contuso dolet ægrotans; nec sonat tumor; nec manum impositam calore nimio lædit; nec colore mutatur; immò sæpè suprà naturalem alborem, seu pelluciditatem præbet (36), præcipuè ad umbilici regionem conspicuam; quo loco interdum cutis phlyctænæ instar elevatur; rarius in peritonitide, quamvis non ignotum planè, neonatis præsertim, phænomenon. His adde viscerum, si percipi posset, in ventre mobilitas, quam, exstante inflammatione, quandoque prohiberi diximus.

2°. His præmissis nemo est, nisi ineptior, qui viscerum abdominalium functiones liberiores quàm in peritonitide, hîc evadere intelligat, nisi morbus alius organa quædam primariò affecerit, ipse forsan ascitæ causa; de quo suprà (*capite 1^{mo}*) verba fecimus. Quamobrem icterum, vomitus, diarrhœam, etc, ipsius ascitæ signa nuncupare nolo (37). Hæc autem hydropis propria symptomata sunt, tussicula, dyspnœa, ut ita dicam, mechanica et aquarum ponderi tantum tribuenda, sudoris, fæ-

(33) Ducentas et sexaginta aquarum libras medicas in ascitici cujusdam abdomine inclusas fuisse testis est NUCK; *adenographia curiosa*, p. 127.

(34) *Idem* NUCK, p. 102, chronicæ peritonitidis, sub hydropis nomine, historiam habet, nonaginta libras aquæ turbidæ producentis.

(35) FRANK, t. 8, p. 155. HULLIN, thèse 1812, p. 8.

(36) « Si ad candelam eum spectare detur. » BARBETTE, *chirurgia*, p. 116. Umbilicum ovillæ vesicæ instar protensum viderunt PURMANN et MACKENSIE apud CAMPERUM, *soc. med.* 1784, p. 98.

(37) « Les coliques, la jaunisse, les urines rouges, ont lieu lorsque l'hydropisie provient d'une maladie du foie. » PORTAL, op. cit. t. 1, p. 9. Tunc etiam in lotio bilis a peritis chemicis reperta est et nudata. CLARION, *Journ. med. chir. pharm.*, messidor, an 12.

cium, urinæ (38), aliorumque excretorum suppressio vel densatio, absumptâ scilicet secretionum materiâ et in peritonæum compulsâ, collectâque. Hinc sitis, nimum forsân ab auctoribus decantatum symptoma; quâ sedatâ increvisse crediderunt aquæ peritonæalis illuviem; undè poeta.... *crescit indulgens sibi dirus hydrops.*

3°. Tunc quoque notanda sunt cutis universæ, extremorumque artuum imprimis emaciatio (39), frigus (40), mollities, pallor et pelluciditas, lingua decolor, et albida lacrymalis caruncula, pulsus tardi, debiles, nonnunquàm etiam exiles et mollissimi, mœror, animique dejectio (41), undosa somnia, et per fontes lacusque nocturnæ divagationes. Atque tandem ex nimiâ præcipuè dyspnœâ (quæ rectum tenere elevatumque thoracem cogit) eo desperationis compellitur ægrotans, ut, furore percitus, cultrum aut pugionem sibi dari sciscitet, quo ventrem confodat, aquamque detestatam projiciat, et ipse postea vitam efflaturus (42).

CAPUT TERTIUM.

Ortus, progressio, finis.

§ 1. Acutæ peritonitidis prolem, ut ita dicam, esse peritonitidem chronicam jamjam diximus; et hoc sit satis: prioris etenim progressionem describere, atque quo modo gradatim in chronicam decrescens

(38) Ammoniacam illas permultam continere, nec ullam sibi *ureæ* partem manere, chemicâ comprobavit analysi NYSTEN, *op. cit.*, p. 262. In peritonitide, acutâ equidem, lotium, salibus et *ureâ* ultrâ solitum modum, fruebatur. Gelatinam et albumen in illis copiâ increvisse testis est cl. professor BECLARD, *in anat. generat.*, p. 193.

(39) Sive appareat oculis, sive ab aquâ intercute velata lateat. LANDRÉ BEAUVAIS, laudato in opere, p. 381.

(40) «In ascite frigent membra, et corpus universum torpet.» MERCURIALIS, p. 336.

(41) Disjectas vires et deficientem animum diligentissimè pictor GERARD DOW in tabulâ notissimâ, delineavit.

(42) Quod quidem fecisse mulierem quamdam, non sine mortis periculò, narrat MONRO, *op. cit.*, p. 71.

abeat, dictitare, longum et incongruum foret. Sic igitur natus, morbus noster cursum diutius, breviusve protractum peragit. Modò reipsâ plurimos perdurat annos, modò, paucas, post hebdomadas aut sanatur, aut ægrum trucidat. At nunc, pro re natâ, terminorum variorum quibus phlogosis concludi potest, historiam perbreve instituiam.

1°. Interdum, inquam, sanatur morbus etiamsi gravissimus: tunc mitescunt omnia symptomata; febris abit; macror nonnunquam paulatim obesitati locum dat; functiones corporis omnes facilius et aptius exiguntur. Nec desunt exempla rupti, sive ex gangrænâ, sive ulcere nato, sive sensim attenuatis ruptisque tandem integumentis, umbilici (43), immò ruptæ vaginæ (44), vel intestini recti ulcere exesi (45), ita ut liquor intra abdomen collectus, e corpore exierit. Aliis ægris itidem sanitas, a perforato de industriâ abdomine, restituebatur. Sæpius attamen gradatim, et absorbentium vasorum gratiâ, humor peritonæum relinquit; at per longum tempus permanet intumescencia ventris; intestina invicem ligata difficilè identidem suis funguntur officiis; convalescentiæ protractæ sunt, et renovationes imminet.

2°. Fortunatum hunc terminum non semper, immò nimiooperè infrequenter, contingere licet. Sunt quos dolor et febris quotidie depascuntur, et rapido cursu, ad orci tenebras, præcipites agunt; sunt quos ocius absumit sphacelus; sunt etiam quibus ventris perforatio malè cessit

(43) Eo modo nonnulli sanati sunt ægroti, ex. gr. DELAMOTTE, *acc.*, p. 1133. SWIETEN, ex CHOMEL, t. 4, p. 611 et 621; LEDRAN, *obs. chir.*, t. 2, p. 75; PUZOS, DOUBLET et PUJOL, *lo. cit.*, et cum quibusdam aliis, in *Dict. sc. med.*, art. puerperal, auctore GASC. FRANK, de *cur.*, t. 2, p. 193. Semel et nos vidimus. Mortem aliis hoc phænomenon adduxit. Ex. SCHENKIUS, p. 448 et LIEUTAUD, t. 1, p. 373.

(44) Morte subsequente semel vidimus.

(45) Sanatas indè mulieres tres observavi, quarum altera per vesicam quoque pus emittebat. At in plerisque istis casibus, an exstiterit verâ peritonitis non indubiè semper stabilitum est; et ideò præsertim notare nolui plurimas, apud eosdem sive alios auctores, historias relatas puris, ab inguine, hypogastricâ regione, epigastricâ, lumbalique, etc., erumpentis.

et subitaneo quasi fulminis ictu peremit (46), aut lentâ derodens suppuratione, paucos post dies, e vitâ cedere coegit.

Nulla tamen ad mortem via frequentius hunc morbum excipit quàm renovatio, recrudescencia, id est acutæ formæ recursus; quem rigor, horrorve prænuntiant, confirmant que doloris et tumoris, validâ comitante febre, adauctio.

5°. Nonnullis exemplis firmare quoque possemus hanc sententiam, hydropem interdum peritonitidi succedere chronicæ (47). Certioribus et innumeris observationibus desumere licebit, illius inflammationis esse consecanea tubercula (48) aliæque id genus degeneraciones, de quibus modò loquendum erit.

§ 2. Non ita suâ dissimilis hydrops hominem invadere solet; nisi a viscerum abdominalium morbis pendeat. Languidum sæpius et viribus exhaustum corpus occupat, tussiculâ quâdam et dyspnœâ (49) forsan colicis doloribus, certè autem pedum tumore (50) (quem in peritonitide nullum, seu ad finem extremum morbi modò conspicuum, esse constat) præcessus. Lentè morbus progreditur et aliquandò tantuli est incommodi,

(46) « Qui suppurati vel hydropici uruntur aut secantur, hi pure aut aquâ *acervatim* effluente moriuntur. » HIPPOCRATES, *sect. 6, aph. 27*.

(47) Vide n° 15.

(48) Tubercula miliaria, albuminosæ pseudo-membranæ vasculis mox præditæ formam esse dixit prof. LAENNEC. Horum exempla habebis in LIEUTAUD, *op. cit.* et in BONETO, t. 2, p. 429. NECHON MORGAGNO, *Ep. 48, art. 35*. His jungere licet DEHAEN, *pars 5, cap. 2, §. 1*. BAADER, *obs. med. 17, in thes. sandifortiano*, t. 3. LELLIUS et BICHAT apud doctum æmulum CRUVEILHIER, *anat. pathol.*, t. 1, p. 151. Carcinoma peritonæi viderunt STOLL, *rat. med.*, pars 1, p. 161, et LABROQUE, *thèse 1822*, p. 50. Viderunt quoque BAILLIE et GUERBOIS, *anat. pat.* p. 107. Gemmata granula, SAVARY, *in dict. sc. med.*, t. 40, p. 488.

(49) « Asthma cum tumore pedum plerùmque hydropis prodromus est. » KLEIN, *interprès clinicus*, ex PLATERO.

(50) « Leucophlegmatix hydrops supervenit. » HIPPOCRATES, *aph. 74, sect. 7*.

ut ægrum longam agere, jucundamque vitam sinat, usquequò senio confectus supremam diem obeat (51).

1º. Feliciorē adhuc exitum morbi sanatio nonnunquā exhibet, at rarissimum et forsā insperabilem si ultrā annum duratio morbi processerit. Sanatur morbus resorpto sero (52), atque per urinæ (53), vel sudoris (54), vel defæcationis vomitusque (55) vias emissio. Exempla sunt quoque rupti umbilici, sicque vacuati abdominis, insequente sanitate (56): alia tandem sunt perfossi de industriâ abdominis, tali cum exitu; quamvis plerūque, adminicula chirurgica, passim ægrum levare non autem sanare possint (57).

2º. Hydrops verò vulgatâ equidem sententiâ, mu toties immedicabilis constat. Tunc paulatim aqua, totum corpus pervagans, thoracem, pericardium, subcutaneumque textum replet et ægrum suffocat; tunc vires paulatim imminuit, functiones præcipuas lædit, nutritionem pro-

(51) Sunt homines quibus, sanissimo aliundè corpore, serositas in peritonæo abundat. Juveniscujusdam nuperrimè timores compescui, qui quoties deambulationem longiùs solito proferret, sensim tumescere scrotum sentiebat usquequo tumorem lucidum, mollem, et decubitu mox evanidum, offerret; saccus hùc aderat herniosus, collo angusto præditus, qui non jam intestini, quamvis aquæ, defluxum sinebat. Per hanc viam quibusdam hydropicis aquæ extractæ sunt (BARAILLON, *soc. med.* 1784.)

(52) Tales se vidisse casus testatur CRUIKSHANK, *anat. des vais. abs.*, p. 105.

(53) FRANK, t. 8, p. 152. Per muliebria effluxisse humorem narrat FERNEL.

(54) MONRO, p. 93 *et seq.*

(55) MARC. DONATUS et alii permulti. In MONRO, p. 75.

(56) TOLPIUS, lib. 4, *cap.* 45; HILBANUS, *centuria* 1, obs. 47. SCHENKIUS tūm propriâ praxi, tūm multorum aliorum libris, p. 439. Indè periti viri, ibi paracenthesim esse instituendam concluderunt; sic RIVERIUS, LEDRAN, LOSS, SIMS, apud MONRO, p. 284, et DARWIN, *zoon.* t. 1, p. 189. At mortuorum exempla quoque affert idem SCHENKIUS, p. 448.

(57) Exempla 154 immò 300 punctiōnum vide *in dict. sc. med.*, t. 4, p. 224. 66 MEAD, et 57 MORAND, celebratam punctiōnem vicibus, nunc sanato, nunc tandem mortuo ægrotante, peractam fuisse cognoverunt (SUE, *anecd. de med.* t. 2, p. 181.)

hibet, vibicesque (58), immò sphacelos in artubus inferioribus procreat (59), aut insanabilia ulcera (60), et hominem ad plures, itinere longo tædiosoque, non sine repetitis lipothymiis (61), permittit; hoc evenire præcipuè solet quùm aliquod perutile vitæque columna viscus, scirrhosâ perculsus degeneratione, ascitem genuerit. Aliquotiès etiam ruptus umbilicus, vel cuspidè perfossus venter, aquâ subito projectâ, lethalem induxerunt syncopen (62).

3°. Talis operatio pluriès etiam mortis minùs citæ occasio fuit, inflammato exindè peritonæo (63). Ista autem phlegmasia similem eventum non semper ut oriatur expetit, quæ nimirùm peritonæum a quâlibet causâ extensum corripit (64).

Concludamus igitur caput tertium asseverantes, peritonitidem chronicam ab acutâ ortum ducere, citiusque necare, et in acutam formam induendam constare propensiolem: hydropem verò a debilitate, vel chronicis morbis productum, lentiore progredi passu, et vires paulatim exhauriendo, mortis aditus patefacere.

(58) FRANK, t. 8, p. 152.

(59) BOERHAAVE, in KEINII *interpr. clinico*.

(60) Τοισιν υδρωπικοισι τα γινόμενα ελκεα εν τω σωματι, & ρηθιδως υγιαζεται. HIPPOCR., *Aphor.* 8, sect. 6.

(61) FRANK; loco modò citato.

(62) Vide n°. 44.

(63) Cum gangrænâ, MONRO. p. 103. DEHAEN, *pars* 4, *cap.* 5, §. 2 et 3. DELACHAUD, *ac. chir.*, t. 2, p. 447; DELAPORTE, *ibid.*, p. 453 (inciso abdomine) LEDRAN, *ibid.*, p. 432. HULLIN, *thèse* 1812, p. 12. BARAILLON, loc. cit. p. 307. Indè meritò KLEIN, p. 140; « Paracenthisi peractâ, vomitus sequentes funestum præbent symptoma. » Ex his conjectare libet quàm insulsum sit injicere, per abdominale cavum, irritantem quemdam liquorem, vinum scilicet etc. ut quondam, tristi sub eventu, tentatum fuisse referunt MONRO, p. 279, et CAMPER, *l. c.* p. 118.

(64) Observationem in hoc comprobandum aptam dabimus. Vide præterea BROUSSAIS, *Phleg. chr.*, t. 3, p. 344.

CAPUT QUARTUM.

Cadaver.

§ 1. 1°. Recluso hominis peritonitidem post chronicam defuncti abdomine, sæpenumerò copiosus effunditur humor. Varius liquoris aspectus observatur; tùm enim puri similem aut albuminosis floccis permistum reperiēs, cùm sanguinis sero parem turbidioremque tantùm conspicies. Color verò nunc ad luteum vergit, nunc ad viridem; rariùs albore lactem æmulat, vel sanguine perfusus adparet, et interdùm etiam nigrescit (65). Odor, nonnunquàm gravis, putriditatem incipientem arguit; quod phænomenon vivente homine non esse rarissimum credo: huic et enim putriditati tribuendas censeo aeris fetentis in peritonæo collectiones, quas animadvertentes medici tympanites peritonæales appellaverant, atque modò ab intestinorum naturalibus porulis, modò ab ulceribus pertusionibusque, plus minùsve latis, transgressas esse crediderant (66).

Humorem supradictum si chemicis indagationibus contrectaveris, abscessuum puri persimilem reperiēs (SCHWILGUÉ): quippè albumen alcoole, acido nitrico, tanninoque coactum (seu priùs in humore solutum, seu mollium antea floccorum formâ depositum fuerit), et induratum, mox autem potassâ denuò colliquandum habebis: hæc quondam clarissimi viri *Bayle* et *Dupuytren* absolverunt (67). Albumen illud partim concretum et coagulatum maximos constituit acervos, quos pro gelatinæ cujusdam specie nonnulli habuerunt scriptores (68).

(65) Sextam et sequentes notas revisere placeat.

(66) MORGAGNI, *Ep.* 48, *art.* 24 et 25.

(67) Olim BUCQUET caseum in puerperarum peritonitico humore se reperisse dicebat; *Journ. med.* 1782: at DÉSERIN ammoniacam casei, non verò albuminis peritonitici solutionem exagere demonstravit. (Apud GARDIEN, *acc.*, t. 3, p. 435.)

(68) Annon vera fuit, pluribus in casibus, gelatina dubium est. Confer DELAPORTE *ac. chir.*, t. 2, p. 454. TARGIONI, apud MORGAGNUM, *Ep.* 48, *art.* 33. SWIETEN, t. 4, p. 167. Et multa alia in opere cit. MONROI congesta, p. 9.

Alius quoque generis experimenta de serositate perotinæ inflammati instituta sunt. Alcalinam dixerat eam *Dehaen*, eo nixus quòd sirupum violarum viridem fecerat. Idem, a professore *Chaussier* eodem cum eventu, tentatum est; ast ego (si parva licet componere magnis) erubuisse pluriès cœruleum colorem isto tabo contactum observavi. Nullo autem modo sibi mutuò nocere constat varios tentaminum successus; quùm quidem jamdudùm illustris professor cadaverum humores, paucis, ex animâ efflatâ, horis elapsis, acescere (*ac. aceticum*), longius verò quùm temporis spatium excursum fuisset, eosdem humores alcalescere observaverit (*ammoniaca a putr.*).

Majoris autem momenti tentamina physiologica, meo sensu, haberi debent. Ichoris etenim acrem et venenosam indolem (quod non callèt chemia) indubiis sanè argumentis demonstrant.

Clarus, de quo jam mentio fuit, professor plurimorum canum vulneribus purulentam quam descripsimus materiem instillari curavit: canes verò, paulò post, phlegmonibus gangrænosis correptos fuisse, moxque vitam liquisse patuit. Ipse ego puerperarum cadavera secans, repetitis vicibus, quamvis illæsâ priùs cute, manus et digitos tabo immersos, dimidiâ vix elapsâ die, papulis rubris, et non sine ardoris acerbo sensu, scaturientes conspexi (69). Quas post perfectam maturationem apertas pustulas, et repurgatas, aquæ meræ lotionibus sanavi. Pluriès immò glandulas exindè axillares intumuisse, condoluisseque memini per aliquas septimanas.

2°. Ipsa membrana ferè semper malè afficitur. Nunc rubram(*), lividam, densam, nunc ulceribus corrosam, vel albumine coopertam, pseudo-membranâque interdùm jam vesiculis sanguineis, moxque solidis ramulis a sanguine concreto conflatis, novissimè cavis ipsis-
simis vasculis instructâ, circumvestitam videre est (70). Sin autem pro-

(69) Papulas e contactu pronatas, et halitu febrem putridam narrat *Monro*, p. 12.

(*) Punctatim; *Lænnec* apud *Cayol*, *hern.*, p. 399.

(70) Prof. *Beclard*, *anat. gener.*, p. 195 de istis rebus diligentius disseruit. Vide etiam *Cruveilhier*, *anat. pathol.*, t. 1, p. 156.

vector menses et annos inflammatio perduraverit, tunc et abscessus varios, immò degeneraciones tuberculosas, melanoticas, cancrasas, albuginosas, etc. (71), ipsam peritonæi texturam permutasse nostri nos oculi commonuerint

3°. Vicinas partes, musculos, præsertimque telam cellulosa peritonæo circumjectam, eodem jam descripto modo, mutata fuisse non rara sunt exempla. Pns, materia quædam albida (72), tubercula, etc., dictis in partibus reperta sunt: atque multotiès ibi prægrandes nati sunt abscessus, sæpè, ni fallor, pro saccatis hydropibus jactitati (73).

4°. Nunc autem de visceribus abdominis dicendum remanet; quorum degeneraciones, abscessus, inflammationes, tumores, spontaneasque sic dictas, et hucusque ignotæ conditionis, perforaciones (multotiès, post peritonidem, claris prof. *Chaussier* et *Dupuytren*, necnon mihi obvias), vel tandem ulcera, totam visceris cavi parietem absumentia, describere longum foret: hæc indigitasse, posteaque exemplis comprobasse, sufficiet; quin prolixiùs propositum thema protraham. Non possum tamen paucis parcere verbis de coagmentatis, confusis, unâque solidâ et deformi congerie adunatis visceribus (74). Hanc si secueris molem cavos huc viscerum recessus, illuc verum parenchyma, quasi per ceraceam massam disjecta, insculptave reperire licebit.

§. 2. Eodem ordine singula de ascite prosecutus, humorem effusum primò considerandum habeo.

1°. Humor ille pellucidus nec sicuti suprâdictus turbidus est; agitatus in aere spumâ operitur; ad ignem concrecit, at solo corporis calore nunquàm in floccos membranasve coagulatur. Alii, sanguinis sero planè

(71) Exempla privata, ultimis proferam paginis. Videsis notam 46.

(72) BAILLIE, anat. pathol., p. 106.

(73) « Fatebimur etiam plures hydropis peritonæalis observationes, non tam verò peritonæi hydropi quàm suppurationi, a prægressâ inflammatione hanc membranam inter et musculos abdominis sitâ, fuisse adnumerandas. » FRANK, t. 8, p. 271.

(74) CRUVEILHIER, t. 1, p. 162. GEOFFROY ST.-HILAIRE, *monstruosités, planche* 15, fig. 3 et 4.

similem, vel pauciori tantum albumine donatum dixerunt (75); alibilis (76), vel urinæ (77) elementa quædam exinde subduxisse scripserunt. Putrescere unquam istum humorem difficillimè crediderim; atque si meam licet expromere sententiam, inflammationis suborientis effectus, putrescentiæ addixisse auctores, et ipsum *Frank* (78), vereor. Neque, veluti peritonilidis virus, venenosam unquam explodit indolem: vani equidem ad memoriam adhuc stant terrores, quos, juvenculus et artis tyro novissimus, manibus, diutius ac voluissem, sero cujusdam hydropici *scabiosique* militis, madefactis, susceperam.

2°. Peritonæum ab hydrope sincero, nunquam mutatur (79): album et lucidum, unâ tantum vice densum et opacum comperimus. Sed aliter quandoque res se habent; peritonæum nempè totum non semper morbus aggreditur: omento (80), mesenterio (81), vel et ipsâ peritonæi exteriori superficie (82), vel abdominis infimâ tantum parte (83) septo quodam morbo a superiore secretâ, humor insidet. Alterius etiam generis sunt quædam totius peritonæi affectiones, septis plurimis divisi (84), vel hydatidibus (85) completi. De his attamen lectores com-

(75) BECLARD, *anat. gen.*, p. 95.

(76) Morboso hepate; BAILLIE, p. 100.

(77) NYSTEN, *op. cit.*, p. 287.

(78) *De cur. hom. morb.*, t. 8, p. 148. et DUVERNEY junior (*ac. sc.*) et HEISTER ex RUYSCHIO.

(79) Vasa tantum lymphatica sero sæpissimè turgent. MASCAGNI, *vasi linsat.*, t. 1, p. 148. SCHERB, in HALLERI *disp. pathol.*, hydropem refert a calculo, thoracicum canalem obturante, productum.

(80) DEHAEN, et quondam HIPPOCRATES (locus effugit). BONET, t. 2, p. 468. FRANK, t. 8, p. 282.

(81) TULPIUS, lib. 2, cap. 34.

(82) Huc refer, si placet, notam, n°. 110.

(83) LITRE, *ac. sc.*, 1707. DUVERNEY junior, pertuso abdomine paucâque effusâ aquâ, septum membranaceum adesse sensit, quo forato abdomem totum humore purgatum est, (*ac. sc.* 1703).

(84) SCHENKIUS, p. 431. BONET, t. 2, p. 429. LIEUTAUD, obs. 1699, 1716, 1719.

(85) BONET, t. 2, p. 490. DEHAEN, t. 6, p. 222. RUYSCH, obs. anat. 27, 45,

monere debeo, sæpissimè medicinæ scriptores abscessus chronicos peritonæo ex vel inclusos pro saccatis hydropibus habuisse (86).

3º. Viscera identidem sana (87), crebriùs herclè variis modis deturpantur; nunquàm attamen ut in peritonitide coalescunt; verùm hùc magnitudine (88) pondereque, absque alià permutatione aucta sunt; illuc exesa, suppurata, hydatidibus, scirrhis, tuberculis, melanosi obsessa, mole quoque præstant; aliò contrà minuta (89), compressa, dura, et ut dicunt retorrída (90), immò (si *Orthelio* fides danda sit) nulla viderunt observatores: viscera quoque immanè distensa hydropis esse sedem innumeris constat observationibus; siquidem in ventriculi (91) ipsà vel intestinorum (92) compage, in utero (93), tubis (94), ovariis (95), reni-

46. LIEUTAUD, obs. 1676, 1677, 1678, 1714, 1721, 1722. MONRO, p. 214, 277.

(86) Jam de aliis dictum fuit. Vide ut certior de hoc fias DESBANS *de hydrope saccato, in thes. sandifortiano*, t. 2; non omnes certè sed plurimæ observationes ibi conjectæ abscessuum sunt aut chronicarum peritonitidum. Idem de BONETO, t. 2, p. 530 et 533.

(87) BONET, t. 2, p. 441. CAMPER, *soc. med.* 1784, 97.

(88) Libras novem hepar, sex lien pendit; DEHAEN.

(89) Fabam lien æquavit. PEYER, p. 238.

(90) De istis mutationibus tam confertæ sunt in pathologicæ anatomes reperiis observationes ut a quo inciperem, nec quando sistere liceret meherclè scio.

Corrupti jecoris vitio, vel splenis acervo

Crescit hydrops.

Q. SEREN. SAMONICUS.

(91) BLANCARD, cent. 1, n°. 84, et cent. 61, n°. 98, RIVIÈRE, p. 561. SAUVAGES, *noesol., classe X, hydr. particulières*.

(92) In fœtu; FRANK, t. 8, p. 294.

(93) MONRO, p. 164. NAUCHE, *mat. de l'utérus*, p. 141. DEHAEN, t. 6, p. 222 et 229. CRUVEILHIER, t. 1, p. 281. HILDANUS, cent. 2, obs. 53.

(94) MONRO, p. 175. TULPIUS, lib. 4, cap. 45. BONET, t. 2, p. 491. DEHAEN, t. 6, p. 222.

(95) SCHENKIUS, p. 432. MONRO, p. 222. MORGAGNI, ep. 38. CRUVEILHIER, ex prof. RECAMIER *praxi, anat. pat.* t. 1, p. 275. Permultique alii quos hùc congerere tædiosum foret.

bus (96) splene (97) hepate (98) liquor seu serosus seu amurcosus et *purulentus* inclusus fuerit; namque hùc quoque iterandæ sunt quæ de hydropse peritonæali instituebam animadversiones (99).

4º, Postremò de aquâ intercute quemlibet hydropem stipante nil dicendum mihi est quin suprà jamjam legeris.

Quæ omnia præcedentibus includuntur ambobus paragraphis satis per se vividum lumen spargunt, quin amplioribus opus sit argumentis, ut, quantum distent ab invicem affectus de quibus nunc agitur, indubiè constet.

CAPUT QUINTUM.

Medicaminum effectus.

Pauca de chirurgicis medicinisque auxiliis proferam : historiam amborum quippè morborum perficere mens mihi non est; sed modò phænomena cujusque ægritudinis componere, discrimina demonstrare conor, ut indè utriusque natura eluceat, impositoque penso satisfaciam.

§ 1. Peritonitis licet chronica, inflammationis tamen non tantùm nomen, sed et naturam servare, non est qui neget; non, equidem fateor, æquâ ratione acutam chronicamve phlegmasiam medicare, non eodem nisu in debilitantibus auxiliis intendere mentem debet vir arte peritus et sapiente prudenteque pollens ingenio. Phlogosis indubia est, adynamiaque constat haud inficianda. Anceps igitur curatio est, cautusque roborantium et lenificantium usus solus juvare potest et sanationem patrare. Indè potus abundantioris, balneorum, cataplasma-

(96) CRUVEILHIER, p. 287. BARAILLON, l. c., p. 173.

(97) Cum ascite; *ex actis Edimb.* sed non sunt ad manus.

(98) LASSUS, Journ. med. chir. pharm., t. 1, p. 130.

(99) Vide, inter alia, ovarii morborum exempla; præsertimque DEHAEN, pars. 4, cap. 3.

tum, hirudinum, corticis peruviani, vini, fonticulorumque et mercurii prudenter ministratorum commoda. Indè quoque venæ sectionum immodicarum, purgantium que potentiorum (100), diureticorum acrium (101), et ceterorum id genus remediorum, necnon chirurgicæ pertusionis lamentabiles sequelæ (102), dolorum recursus inflammationisque renovatio nullâ medelâ coercendæ.

§ 2 Ascite verò laborantibus debilitantia quoque medelarum generanoxia esse, omnisætatis medici cognoverunt (103): quàm minima sanguinis missio ægritudinem gravat. « Balneorum usus hydropicis, præsertim frigidâ intemperie præditis noxios esse » monuerat *Alexander Trallianus* (104). Nimios quoque nocere potus, prodesse autem sitim (105) vulgaris notitiæ res est. Sitis contrà febrem arcessendo, peritonitidis recrudescantias foveret. Roborantium et irritantium substantiarum utilitatem confertissima, quotidianaque comprobant exempla (106). Juvare purgantia hydragoga dicta, diuretica, sudorem que moventia medicamina, nimium eheu! vulgatum est; dùm utilissima, si de morbo reapse asthenico agatur, periculosissima verò si ad phlogosim vergit morbus,

(100) « Si a cathartico dato venter plus tumescit et velut tympaniticus evadit, morbi funestum expectato eventum. » *WILLIS, de hydrop.*

(101) « Si materia quæ in abdomen tumorem facit nimis est viscida, purgantibus ac diureticis graviter lædes ægrum. » *MEIBOMIUS, in KLEINIO.*

(102) Observationes plurimæ de hydrope ipso alibi (nota 60.) datæ sunt; et ego paracenthesim, infelicissimo cum eventu, pluriès a quodam chirurgo, olim in puerperis celebratam fuisse, de ipsius verbis cognovi: sunt tamen contraria exempla: sic *BOSSU* in *GASTELIER, mat. des femmes en couches*, p. 155. *LEDUAN, mem. ac. chir.*, t. 2, p. 440 et 444: hæc autem pro saccatis hydropibus data sunt; forsân nil aliud nisi abscessus de quibus apud *PUZOS (mem. sur les ep. taiteux)* sermo est.

(103) *SYDENHAM*, p. 344.

(104) *Lib. 9, cap. 3.*

(105) Sic exactas sanationes quære apud *CELSUM, lib. 5, cap. 2*; *MEADIUM, monita et præcepta, cap. 8.*

(106) *SYDENHAM*, t. 1. p. 343, 516.

indiscriminatim cuivis ægrotanti, stolidissimi ministrant agyrtæ. Vide-
sis in *Bacheri* libro quantum roborantia, cautè et opportunè ministrata
valeant.

CAPUT SEXTUM.

Difficultates, Conclusio.

Ad propositum finem tandem pervenisse, forsán gaudere et exultari
possem; etenim si perlustratam hactenùs viam, retrò oculos agens,
conspiciam, ascitæ peritonitidisque discrepantiam de variis et distinc-
tis cujusque causis, signis, progressionem et conclusione, anatomicis
etiam disquisitionibus, ac demùm medicaminum in utrumque morbum
evidente actione, stabilitatam firmatamque videbo. Dati autem proble-
matis mancam et imperfectam explanationem constare autumarem, nisi
difficultatum obscuritatumque sæpissimè inextricabilium recensio-
nem lectoribus obtulerim. Quam nunc operam navare in animo est.

§ I. *Causæ.* Ex adauctis stimulis peritonitidem semper ortum du-
cere diximus; chronicæ verò formæ occasionem dare nihil potest, nisi
debilitantium causarum ordini teneat; inter quas senium, debilitas, me-
lancholia, lymphatica temperies, scrophulæ, etc. numeranda sunt. Neque
adeò mirum est homines nimium baccho indulgentibus peritonitide mul-
ctari; nec stupendum phænomenon præbet peritonæi phlegmasia, scor-
buti, vel splanchnicarum degenerationum, scirrhorum, tuberculorum,
etc., consecanea.

Alterâ de parte, hydrops non perpetuò debiles et hebetes ægros
occupat; interdùmque contrà, torosos et plenos vitæ viros, sanguine-
que redundantes irrui (107), plethoræque signa tunc eum antecedunt

(107) De hydrope *activo* pauca in veterum scriptis, hinc indè reperiunt (nota 13):
nostris autem temporibus res clariùs enituit. De his locutus Stoll, (*rat. med.*,
pars 3^a, p. 159.) ascitem se vidisse plethoricam negavit; plerùmque etenim hydrops
sthenicus œdematis formam complectitur. BACHER, HAUTESIERK quoque eum secutus,

et comitantur. Atque etiam quotiès inflammatorium exanthematicumve febrilemve morbum subsequitur, difficillima plerùmque diagnosi oritur; febris et phlegmasia nempe peritonitidem chronicam antecedunt, quemadmodum *adynamia* (febris periodus aut saltem effectus) hydropem asthenicum præit. Profectò hæc omnia præsertim de hydrope mero, visceraliumque degenerationum experte, intelligi convenit.

§ 2. Quæ modò descripsi symptomata si manifestò constanter sese gererent, paucae adessent cunctationes; deficientibus autem præcipuis phlegmasiæ signis, vera ægritudinis natura lateat necesse est. Porro deesse febrem, cutisque calorem, ruboremque, immò dolorem (108); tumidum ventrem impunè et sine manifesto sonitu percuti, protuberare umbilicum, fluctuationem haud obscuram percipi (109) viscerumque mobilitatem; pallescere linguam, artus aquâ intercute deturpari (110), sitim urgere, urinamque densissimam esse, exstantibus vel peritonitide, vel quod itidem sonat tympanite, varii observaverunt scriptores.

Ascites quoque ingruens dolorem (111), calorem, febrem (112) ciere visa est; febre etiam ad finem sæpè stipatur, et tunc lingua rubet et calet universa pellis. Urinæ non perpetuò crassæ turbidæque, sed vicissim, in plerisque ascitis, ubi febris abfuerit, pellucidæ pallidæque

(t. 2, p. 401.) hujus hydropis quoque ex longo tempore neglecti indolem suspicabantur. Primam de hoc monographiam scripsit GRAPENGISSER; aliam verò observationibus numerosis ornatam expedivit Dr. BRESCHET. (*Thèse* 1812.)

(108) Professor RECAMIER multas vidit, etiamsi acutas, absque ullo dolore, peritonitides. LARROQUE, *thèse* 1822. LIEUTAUD, t. 1, obs. 1744. PORTAL, t. 1, p. 339. PUJOL, t. 1, p. 55 et 87. BROUSSAIS, *phlegm. chron.*, t. 3, p. 301.

(109) Etiamsi nullus adsit liquor; FRANK, t. 8, p. 54. œdemate solo fluctuationem nonnunquam imitatam, summo jure, notavit DEVERGIE, *thèse* 1823.

(110) Celeberrimus *Buffon* a peritonitide chronicâ calculi urinarii consecutaneâ extinctus, aquâ intercute laborabat. PORTAL, p. 321. Tympanitem, anasarçâ comitante, habet HAUTESIERK, t. 2, p. 378.

(111) ex innumeris constat hydropis saccati exemplis a BONETO, DESBANS, etc., relatis.

(112) BARAILLON in BRESCHET, p. 28.

sunt (113). Alvus non semper stricta immò aliquoties adeò soluta ut diarrhœa suboritur : his adde cutaneas ventris venas in hydropè per vices latescere (114), et tunc demùm abdomen, maximâ vi protensum, percutienti dextræ sonum, nec fluctuationis (115) ullum sensum obtulisse. Fluctus præcipuè obscurus est, nisi omninò deficiat, saccatis hydropibus, necnon extrâ, vel intrâ peritonæalibus puris congeriebus (116). Siti (117) postremò, tussi, dyspnœâque (teste *Monro*) carent interdum hydropici.

§ 3. Secundo paragrapho rariores casus memorabam et e generalli viâ longinquos. At morbos quoque regulares et pedetentim procedentes, tenebræ quædam obvolvere queunt. « Si semper, ait doctissimus Dehaën, ascitici se nobis principio examinandos sisterent, morbum paulò faciliùs sæpè agnosceremus. Cum verò annosi, atque inveterati sæpè nos primùm adeant, ferè immemores *modi* quo cœptus morbus, quo cretus fuerit, minùs profectò certam, minùs que tutam formare diagnosim possumus. » (118) Evidentiorè hùc lectori difficultatis causam tradidimus, quàm diutiùs inibi hæerere deceat.

§ 4. Nec plura dicam de anatomicis scrutationibus; enimverò neo-

(113) LANDRÉ BEAUVAIS, p. 224. FRANK, t. 8, l. c., naturalis et urina in hydropè saccato; DUVERNEY l. c., GARENCEOT; tr. des operat., t. 1, p. 401.

(114) BAILLIE, l. c. Adeò latas epigastricas invenit MORGAGNI, ut digitum æquarent. (Ep. 48, art. 56.) Vide etiam PALFYN, *an. chir.* t. 2, p. 44.

(115) Hùc valet CAMERARII observatio, quâ nimium tensus venter sonabat, nec fluctuationem referebat, (MORGAGNI, ep. 48, art. 59.) hùc quoque DEHAËN similia narranti locus. (pars. 6, cap. 3, § 1.)

(116) Quorum exempla haud facile ab invicem distinguenda reperies apud seq. auctores. TULPIUS, *tib.* 4, *cap.* 44. NUCK, *aden. cur.*, p. 107. MORGAGNI, *ep.* 48, art. 47 et seq. BONET, lib. 3, sect. 21, obs. 12, n^o. 4, 5, 6, 8, et obs. 7 et 41. PALFYN, *anat. chir.*, t. 1, p. 44. LIEUTAUD, *obs.* 1669, 1713, 1725, 1728, 1724, 1745, 1748, 1750. HAUTESIERK, t. 2, p. 426. MOUTON, *ac. chir.* t. 2, p. 444. Hydropes quantum potui priores ordine indigitavi.

(117) FRANK, t. 8, p. 274.

(118) *Rat. med.*, t. 6, p. 215.

tericorum labores medicorum vividiorē in anatomen pathologicā lucem attulerunt, quā novas, in cadaverum attentis indagationibus, subire caligines posse credamus. Cadaverum sectio omnes artis medicæ unbes elucidare debet.

§ 5. De medicaminum incertâ actione diffusius agere animus esset, nisi meos jamjam in prolegomenis evolvere sensus libuisset. Hydropem exstare plethoricum, sthenicum, activum uti dicunt, sciamus satis est, ut identidem venæ sectionem, dilutioresque potus asciticis profuisse non miremur; neque de debilitantium rerum utilitate phlegmonoden morbi indolem esse statuamus. Paucis abhinc mensibus hanc palam feci sententiam, omnes quasque hydropum adauctiones, febrili plerumque paroxysmo, ardentiore siti, minutis, densatisque et viscosis urinis stipatas, *activam* et *sthenicam* proferre indolem; diluentiumque et lenientium medicaminum usurpationem indicare (119).

Ex antemissis evidentissimè liquet perrarò in uno quolibet signo confidendum, sed totam symptomatum catenam percurrendam esse; ne turpiter interdum nos erravisse acciderit (120). Sic inscios virgineoque vultu deceptos immitis Scyllæ prædam fuisse nautas cecinerunt poetæ; dum, cautus infames scopulos, voracesque canes, immanemque ventrem deridens, monstrum effugerit Ulysses.

Absolutis quæ mihi prescripta fuerant propositis, clarorumque virorum auctoritate confirmatis, nunc historiis ea comprobare peculiaribus operæ pretium est; quod, selectos e meis adversariis casus exhibendo, contigisse protinùs adoriar.

(119) *Essai sur la nature de la fièvre*, etc., t. 1, p. 431. Non sine quodam gaudio, ejusdem fuisse sententiæ doctissimum M. Ant. PETIT, doctoris BRESCHET opusculum perlegens, tunc primùm didici.

(120) Funesto cum eventu pertusum fuisse in tympanite (perit.) pro ascite habitâ memoravit HELMONTIUS (in SWIETEN, t. 4, p. 172.)

HISTORIAE PRIVATAE.

Nº. 1. *Peritonitis chronica, connata; enteritis ulcerosa.*

Mulier 22 annis nata, herpetibus obnoxia, alioquin sana, infantem sedecim pollicibus longum, libras tres pendentem, et undiquè leucophlegmaticum, septimo cum dimidio graviditatis mense enixa est.

Tribus elapsis horis puellus, meconio non adhuc emisso, vitam efflavit. Quem crastinâ die apertum, viscera cuncta abdominis coagulato albumine, ligata habuisse cognovi. Hepar, lien, vesica, etc., pseudomembranâ tenui induebantur. Ventriculus sanus fuit. Intestina aggerata, sublutea, duraque et densiora quàm esse solent: interior eorum superficies maculis rubris leviterque erosio distincta videbatur. Colon integrâ gaudebat structurâ, meconiumque paucum servabat.

Placenta solito mollior apparuit.

Nº. 2. *Peritonitis lethalis, absque dolore, lochia non suppressa.*

Mulier torosa, trigesimum sextum annum ætatis agens, puerulum sanum, quartâ de vice, peperit.

Totâ die benè habuit, at noctu caput dolere cepit, ægra tussire ardentique vexari siti, lingua rubescere nigrescereque; *lochia optimè fluebant*; abdomen nullum *quàm minimum* exhibuit doloris sensum.

Sic excurrunt secunda (post partum), tertiaque dies. Quartâ ipecacuanha propinatur, quæ vomitus ciet, et alvinas movet dejectiones. Indè diarrhœa sequitur, sitis increscit, et cephalalgia; lingua nigrorem servat; *fluere pergunt lochia*, nec dolet abdomen. *Kina, vesic., pot. ether.*) Quintâ die, debilitas et prostratio majores adsunt, ægram urgere pergit sitis; pulsus hucusque durus mollescit, lochia serosa paucaque defluunt; venter tumet et tunc tantùm paululùm dolere incipit. Sensim crescit jactura virium; nocteque mors prædam corripit.

Sectio cadaveris.

Subrubro sero thorax sinistrâ parte oppletur; ibi pleura rubescit,

pulmoque durus et compactus ad inferiora constat. Pulmo alias pleuræ undique, textò celluloso, conjungitur.

Pericardio cor partim hærescit.

Peritonæum rubro colore pingitur, serumque turbidum et luteolum continet. Mesenterium plurimis notatur ecchymomatibus. Uterus textò celluloso, aquâ luteâ madido, circumdatur.

Nº. 3. *Peritonitis chronica, recrudescentiâ lethalis, humor purulentus, abscessus.*

Margaretha Berthier, juvenula quatuordecim annis nata, ex duobus annis tussi, thoracico dolore, febre nocturnâ fistulis que circà anum pluribus laborans, morbillis tandem afficitur, quos abdominis pectorisque dolor, presso ventre, percussore adauctus, excipit. Facies pallet et contrahitur, febris vires frangit, pectus malè sonat, spiritus ægrè ducitur, et tandem post binos dies supremam lucem obit ægrotans.

Sectio cadaveris.

Sanus thorax, si aliquas pulmonum adhæsiones, paucissimaque lymphaticorum gangliorum tubercula excipias.

Peritonæum plurimis in locis vividè rubet, præsertim super intestina, quorum interior membrana albida sanaque est. Abdomen virescente turbidoque humore repletur. Viscera, inter anfractus, albuminis coacti lamellas et frusta cohibent. Hepar autem cum intestino colo, cæcumque cum abdominali pariete, ex solidis viventibusque laciniis, adhærescunt. Prætereà abscessus maximus, pure foetente gravidus, totum abdominis dextrum latus occupat, jecori submissus et colon lumbale, fossamque iliacam operiens. Mesenterium tuberculis permultis cretaceis refertum est.

Nº. 4. *Peritonitis chronica, lethalis. Tubercula peritonæi; abscessus.*

Desiderata Pirot undecimum iniebat annum, quum morbo de quo sermo est absumpta fuit. Per plures quàm quindecim menses venter doluerat, et valetudine nunquàm secundâ puella fruita erat. Illam, quum mihi conspiciere contigit, febricitantem, sitientem, dorso cu-

bantem atque macrore confectam inveni. Lingua rubebat, cutis arebat, venter autem tumidus, si quis percussisset, non sine dolore sonabat.

Sectio cadaveris.

Pulmones sani, ganglia verò lymphatica bronchiorum tuberculis obsita sunt.

4 vel 5 uncias pellucidi liquoris pericardium capit. Abdominis viscera, ex interpositâ albuminosâ, materie cinereo colore tinctâ, *tuberculisque* permixtâ miliaribus, modò confertis, modò separatis, molem unicam constituebant undequaque dictâ materie obvelatam. Pluribus in locis ista materia, vasculosa duraque comparuit. Ganglia mesenterii sana fuerunt. Ad partem sinistram, posticamque ventris sedet puris congestio insignis: ventriculo superiùs, musculo iliaco inferiùs, anteriùs verò intestinis connectitur saccus. Dicta autem intestina, hùc illùc lacerata, fæces cum pure miscuerunt.

Hæc historia oppidò sententiæ professoris Laennec, de tuberculorum ortu connivet.

Nº. 5. *Peritonitis chronica cum melanosi; variolæ lethales; angina laryngea.*

Victoria Simonet puellula sex annis et semis nata, pauperibus unâ cum parentibus per inopiam et squalorem vixerat, porriginosa primùm, indè cervicis rigiditatem conquesta, aliisque confecta ærumnis, de quibus pauca nobis cognoscere libuit, tandem variolis correpta est. Quas confertissimas habuit, vehementiore febre, et (ingruente suppuratione) salivatione, dyspnœâ, tussi sibilante, stipatas: frustrâ hirudines, vesicantia, emetica, antimonialiaque medicamina adhibita sunt; irrita, forsanique non optimè conductâ, lethalis morbi solatia. Mors, nonâ post eruptionem die, adfuit.

Sectio cadaveris.

De larynge tumido, corrosivo, albumineisque referto la mellis, prolixiora removeo, quò citiùs ad peritonæum properem.

Jecur, omentum etc., vicinis partibus, per fibras plurimas, alligabantur. Totius membranæ serosæ color fuscus, aut cinereo-ruber maculis nigris, undique variatus. Hæ maculæ granulis miliformibus constabant peritonæo substratis. Eadem nigerrima granula, per materiem gangliorum mesentericorum tuberculosam diffusa, quoque perii. Intestina lumbricum unum continebant; cæcum cicatricem rugosam lividamque obtulit.

Nº. 6. (1) *Peritonitis chronica sub ascitis schemate talens, paracenthesi repetitâ recrudescens, et tandem lethalis: anasarca.*

Tribus abhinc annis, mulier trigesimum annum adorta, valetudinem querebatur adversam. Dolores ventris immanes primò V. S. quidem profligatæ fuerunt; at venter nil minùs turgidus permansit; aqua evidentissimè fluitabat, et *colici dicti dolores* interdum ægram cruciare perrexerunt. Intereà os palluit et emarcuit, cutis arida sublutea, in cruribus, aquâ permultâ elata est, catamemia fluere desinerunt; sitis non adeò valida fuit: an exstiterit febris non memoratum est. Duodeciès paracenthesim celebrarunt chirurgi; quis fuerit humoris educti color aut aspectus novisse non licuit. Crurum cutis incisa multum quoque serum erumpere sivit. Duodecimam post institutam punctionem, venter dolere, cutis incallescere, lingua erubescere, pulsusque tandem febrilis evadere, ceperunt.

Nil nitrum aliaque diuresim moventia medicamina profuerunt: mox verò, vires franguntur et ventris dolores abeunt; mox extrema frigescent; novissimè mors adest.

Sectio cadaveris.

Intestina invicem glutinata, obductaque undique pseudo-membranis mollihus et densis, quæ alia quoque viscera obvestebant. Jecur firmissimis undecunque ad vicinas partes ligamenti ferruminabatur. Passim quo-

(1) Doctoris PARISET, tunc sedentarii nosocomiorum Parisiensium sub-chirurgi observatio.

que abdomen serum purulentum , sanguine tinctum albuminosique floccis permistum coercebat. Cor pericardio hærebat; ventriculorum orificia duplici annulo osseo circumdabantur. Pulmones sani.

Nº. 7. *Ascites et Leucophlegmatia cum febre , absque viscerum degeneratione.*

Juvenula quædam, vix undecimo anno adventante, aquâ intercute cum aliquis aliis ægritudinibus laborare cepit; nil tamen in lotio nec cutis transpiratione mutabatur. Mensibus jam quatuor perrexerat ista valetudo, quùm subito leucophlegmatia universa, vultui vero præcipuè insignis, unâ cum calore, colore que rubello, renixuque cutis, ingruit. Abdomen œdemate non solummodò deturpatur, sed etiam aquam cohibere videtur; quâque parte ægrotans incubuerit, ipsum delabitur. Pulsus non debilis, plenus, tantillumque durus, at infrequens est. Lotium liberè effluit, facilèque levatur alvus.

Diuretica validiora diarrhœam cient, urinas turbant, et tamen ventrem minuunt. Mitior indè curatio meliores etiam procreat effectus, nec tamen morbum prorsus pessumdat. Quæ postea se habuerint nescio; novem verò elapsis mensibus ægram denuò observandam habui. Ascites tunc non dubia; anasarca universa vix macrorem dissimulabat; urina sana, alvus laxior erat. (*vesicantia, digitalis purpurea*). Vomitus a medicamine cientur. Augentur omnia, febrisque se prodit; moxque, post delirium vehemens prostratio supervenit ægramque e medio tollit.

Sectio cadaveris.

Omnibus in serosis membranis et in telâ cellulosâ serum effusum; in peritonæo præcipuè copiâ insigni adfuit, albore semilucido præditum.

Pulmo sinister undequaque costis ligatus, mole minor apparuit; angustius quoque thoracis, in hoc latere, cavum.

Intestina sero intertexto turgebant, interiùs alba, vermes aliquos trichocephalos et alimenta semisoluta includebant: jecur et lien naturalem compagem ostenderunt.

Nº. 8. *Ascites cum Leucophlegmatiâ ; viscera sana ; angina gangrænosa , lethalis.*

Eugenia Tisserand decimum annum attingens , doloribus in abdomine ortis cum dysuriâ , ventrisque tumore invaditur ; mox universum corpus œdemate turgescit. Vultus imprimis turpiter inflatur ; pulsus magnus , validusque , lotium fuscum , rarumque , alvus stricta. *Nitrum , squilla , calomelas* solamen aliquantulum attulerunt. Post autem hebdomadas novem aut decem rursus anasarca increscit , febrisque simul redit atque diarrhœa. De die postremò ægra debilitatur , spiritus ægrè ducitur , fetidusque erumpit ; genitalia simul ulcerosa fiunt ; tandemque longissimam deluctationem mors excipit.

Sectio cadaveris.

Epiglottis et totius Laryngis specu membranâ tumidâ sphacelatâque vestiuntur : dexter pulmo enphysemate plectitur : peritonæum album , opacum , densum fibrosumque , multâ limpidâ , spumosâque aquâ distensum apparet. Omentum parumper aquâ imbutum , jecur et lien sana , renes molles , flavique observantur. Intestina , ventriculusque naturaliter se habent.

Nº. 9. *Peritonitis chronica , purulentis per alvum dejectionibus sanata.*

Scholastica Pothin , quadrata , sanguineâque temperie donata mulier , post perbreve , secundâque vice exactum , partum , per sex dies benè habebat , nisi lactis ad mammas elaboratio abfuisset. Sextâ die febris oritur , cohibentur lochia , dolet venter , alvus laxior diarrhœam exhibet. Septimâ vehemens corrui rigorem , non ante semihoram desinens. Indè ab ipecacuanhâ viridium excitantur vomitus ; abdomen nil minùs dolere pergit , nec hirudinibus triginta dolor levatur ; immò tumidus mox evadit venter. Undecimâ die diarrhœa virides ostendit fæces , talia quoque pellit vomitus ; fusca lingua , respiratio difficilis , pulsus exilis , debilisque fieri incipit , quanquam hucusque lenientibus potibus , balneis etc. , liberiùs indulsum fuerit. Tunc roborantibus uti medicaminibus , externisque vesicantibus cœptum est , sub quorum usurpatione *refici vires* , ab-

domen, *equidem tumidum*, minùs, moxque nihil prorsùs, dolere, diarrhœam autem pergere, observatum est.

Febris etiam nunc mitior, nunc vehementior et tussim, somnolentiam, sudoresque movens, perdurabat, quùm, *trigesimâ octavâ* die, *purulenta* per diarrhœam effundi fæces animadverterunt, quæ pluribus quàm septem diebus elapsis, tandem restiterunt. *Indè* detumescere visus est venter, omniaque meliùs habere, ita ut ægra tertio, post partum, ingruente mense, sanata discesserit.

Nº. 10. *Peritonitis chronica, e nimia ventris dilatatione exorta prolataque; sanata.*

Anno Domini 1822, Theodorici Castrum petere, ad invisendam, de cujus salute jam omnes urbis desperabant medici, ægrotam invitatus sum. Illa autem viginti annis nata, nerveo, ut dicunt, temperamento prædita, vomitibusque repetitis, ex incunabulis, obnoxia, pauló post nuptias abortum passa erat; postea tamen, iterùm prægnans, filium vivum et validum pepererat. Menses ex partu decem excurrerant quùm, denuó gravida, mulier iter vehiculis faciens, multa incommoda ut puta dolores abdominis, anorexim, vomitus, etc perpressa est. Quæ per graviditatis decursum increscere non cessaverunt æumnæ. Abdomen ultra modum intumuit, et ad sextum, a conceptione, mensem, dolores magis in dies increscere, ægra emaciari, febrisque exoriri ceperunt. Septimo autem exacto mense peritonitidis omnia sese extulerunt symptomata; vena ter secata est; nec defuerunt hirudines, balnea, refrigerantesque potus. Nihil aut parùm solaminis hæc attulerunt; ægraque mox eo doloris et incommodi venit, ut nec lecto cubare quiret; nec alvum levare, nec lotium mittere, enemata, nitrum, etc., possent. Vomitus continuò jamjam, fractas et febre comesas vires exhauriebant. Jamque tres, talia ferens, hebdomadas ægrota vixerat, nec protenùs trahere vitam posse videbatur.

Adventu meo permota mulier, in lacrymas prorumpit, flebilique voce cruciatus depingit suos; solatia paulatim approbat, ani-

munque dissectum reficit. Linguam humidam, rubellam, cutem aridam calidamque, pulsum durum renitentemque, ventrem tactu ægrè affectum, ita tumentem, ut in femora procumberet, obscureque *fluitantem*, vaginam osque uteri ardente calore, pulsantibusque arteriis insignia considerans, sanguinem de novo per hirudines mittere non timui. Cathetere immisso paucas et rubidas lotii guttulas eduxi; cataplasmata abdomini inponi jussi; et hoc, in primâ die, talibus modis, impetravi, ut *sine dolore*, in cubile jacere posset ægrotans; tùm etiam abierunt lumborum dolores, qui perpetuæ in sedili stationi tribui debebantur. Istis in perquisitionibus, attentè quoque graviditatis signis mentem adverteram, nec fluctuatione, nec crurum œdemate lumborumque, nec earumdem partium frigore torporeque, nec tandem vultus pallore, eo adduci potueram ut ascitem exstare crederem. Quæ tamen sententia medici cujusdam fuerat, qui paracenthesim proposuerat. Non tantùm dolores sed etiam, vigilias, vomitus, emollientibus et hirudinum usu removi. Crastinâ die mammæ tument (jam procul abhinc fœtûs nulli sentiebantur motus); uteri cervix brevior exploranti digito apparet. Debilitas paucis moderatisque arcetur roborantibus; piceaque emplastra abdomini imponuntur.

Vespere febris augetur, noctu venter dolet, at somno expergefactus, hos dolores nil aliud esse nisi partus conamina certum facio. Mox enim rumpuntur membranæ, aqua cum fragore irruit, et ociûs verbo, cubiculi pavimentum undecunque perfluit; ventris tumor tunc, non sine ingente mulieris levamine, affatim subsidet. Paulò post duo successivè projiciuntur fœtus fœminei, parvi et putridi; quindecim pollicibus prior, multò minore pollens staturâ posterior fuit. Hic verò involventibus adhuc se membranis natus est.

Mater verò, debilis admodum, nimio sanguinis profluvio sanè confecta fuisset; uterum ideò placentâ pro duobus unicâ, coagulisque sanguineis purgatum, manu, ne sanguinem jam nunc novum admitteret constrictum aliquantisper tenui. Hoc autem transgresso periculo, inflammationis renovationem arcere cataplasmatibus et simul roborantibus diluentibusque potibus curavi. Quid ampliùs dicam, debilitas,

febris, diarrhœa, adamussim curata, sensimque minuta, tandem funditûs profligata sunt. Notandum modò censeo, mulieri debilissimæ defuisse lochiorum sanguinem, et illam absque tamen ullo, quæ vulgò his suppressis oriri dicuntur, discrimine convaluisset.

FINIS.